



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XIX. Gregorii Papae I. Ad Evmdem. Claudium abbatem
commendat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

quenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscat; sciens quod per vos substantia monasterii omnino grauari non possit. Data Mense Aprili, indictione prima.

EPISTOLA XIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

Claudium abbatem commendat.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennati.

Quod communēm filium Claudium abbatem latorem præsentium longa apud nos haetenus mora retinuit, res illa fecit, quod magnum nobis, sicut nōstis, erat in verbo Dei solatum: quem etiam hic adhuc volueramus diutius retinere, nisi & ipsum ad suum monasterium festinare, & nos congregationi fratrum eius præsentiam esse omnino necessariam sciremus. Et ideo quia illum, sicut petuit & exigebat vtilitas, relaxandum esse prospeximus, commendantes eum, hortamur, ut sanctitas vestra sacerdotali eum affectione suscipiat, paternam illi monasterioque ipsius caritatem, sicut decet, impendat; benignitatis suæ eum consolatione refoueat, in eius se tuitionem instanter accommodet, & præsidii sui beneficio liberum ab omni inquietudine redditum, quieti & vtilitatibus fratrum vacare permittat, atque peculiariter, sicut a nobis eum scit diligi, diligit; quatenus & caritatis vestræ affectum, quem olim expertus est, in se multiplicius recognoscat, & nos in vobis inuenisse se gaudeat.

EPISTOLA XX.

GREGORII PAPÆ I.

AD AGNELLVM EPIS COPVM TERRACINENSEM.

De his qui idola colebant & arbores.

Gregorius Agnello episcopo Terracinensi.

PERVENIT ad nos quosdam illic, quod dici nefas est, arbores colere, & multa alia contra Christianam fidem illicita perpetrare. Et miramur cur hoc fraternitas vestra districta emendare vltione distulerit. Eapropter scriptis